



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XIX. De tolerantia iniuriarum, & quis verus patiens probetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)



referre, quòd viam rectam & bonam dignatus es mihi & cunctis fidelibus, ad æternum regnum tuum ostendere? Nam vita tua, via nostra: & per sanctam patientiam, ambulamus ad te; qui es corona nostra. Nisi tu nos præcessisses & docuisses, quis sequi curaret? Heu, quanti longè retroque manerent, nisi tua præclara exempla inspicerent. Ecce, adhuc tepescimus, auditis tot signis tuis & doctrinis: *Heb. 12.* quid fieret, si tantum lumen, ad sequendum te, non haberemus?

## CAP. XIX.

*De tolerantia iniuriarum, & quis verus patiens probetur.*

*Heb. 12.* **Q**UID est, quod loqueris fili? Cessa conqueri, considerata mea & aliorum Sanctorum passione. Nondum vsque ad sanguinem restitisti. Parum, est, quod tu pateris, in *Heb. 12.* comparatione eorum, qui tam multa passi sunt, tam fortiter tētati, tam grauius tribulati, tam multipliciter probati & exercitati. Oportet te igitur aliorum grauiora, ad mentem reducere, vt



re, vt leuiùs feras tua minima. Et si tibi minima non videntur, vide ne & hoc tua faciat impatientia. Siue tamen parua, siue magna sint, stude cuncta patienter sufferre.

2 Quanto meliùs ad patiendum te disponis, tanto sapientiùs agis, & ampliùs promereris: feres quoque leuiùs animo & vsu ad hoc non segniter paratis. Nec dicas: Non valeo hæc ab homine tali pati, nec huiuscemodi mihi patienda sunt: graue enim intulit damnum, & impropereat mihi, quæ numquam cogitaueram: sed ab alio libenter patiar, & sicut patienda videro. Insipiens est talis cogitatio, quæ virtutem patientiæ non considerat, nec à quo coronanda erit, sed magis personas & offensas sibi illatas perpendit.

3 Non est verus patiens, qui pati non vult, nisi quantum sibi visum fuerit, & à quo sibi placuerit. Verus autem patiens, non attendit à quo homine, vtrùm à Prælato suo, an ab aliquo æquali, aut inferiori: vtrùm à bono & sancto viro, vel à peruerso & indigno exerceatur. Sed indifferen-

G ter



ter ab omni creatura, quantumcumque, & quotiescumque ei aliquid aduersi acciderit, totum hoc de manu Dei gratanter accipit, & ingens lucrum reputat: quia nil apud Deum, quantumlibet paruum, pro Deo tamen passum, poterit sine merito transire.

2. *Tim.* 4. Esto itaque expeditus ad pugnam, si vis habere victoriam. Sine certamine, non potes venire ad patientiæ coronam. Si pati non vis, recusas coronari. Si autem coronari desideras, certa viriliter, sustine patienter. Sine labore, non tenditur ad requiem: nec sine pugna, peruenitur ad victoriam. Fiat Domine mihi possibile per gratiam, quod mihi impossibile videtur per naturam. Tu scis, quod modicum possum pati, & quod citò deiicior, leui exurgente aduersitate. Efficiatur mihi qualibet exercitatio tribulationis, pro nomine tuo amabilis & optabilis: nam pati, & vexari pro te, valdè salubre est animæ meæ.

CAP.